

subjiciantur, ejusque expensis tanquam domestici commensales continuo aluntur; ut cap. ult. *de Verb. signif.* in 6. juncto concilio Trident., sess. 14. cap. II. *de Reform.* ibi: «Etiam prætextu familiaritatis, continuæ commensalitatissuæ.» Rota Romana divers. part. II, decis. 303, n. 2. Indeque tales alio nomine apperlantur «Commensales episcopi.» Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episcop.*, alleg. 5, n. 2. citans alios.

100. *Hujusmodi familiaris debuit cum episcopo fuisse commoratus per triennium.* — Deducitur secundo, quod familiaris quoad effectum, de quo in præsentibus, debeat cum episcopo fuisse commoratus per triennium, ipsique præsentialiter inserviisse, ac proinde non sufficiat, si absens ejusdem sumptibus vixerit. Nam concilium episcopo talem facultatem ordinandi familiarem non concedit, «nisi per triennium secum fuerit commoratus:» ubi ponderandum ly *Secum.* Et merito concilium requirit ejusmodi triennalem commorationem sui familiaris cum episcopo, ut hic per tale tempus mores illius, et idoneitatem ad statum clericalem, melius cognoscere valeat: hoc quippe fieri vix posset circa absentem. Barbosa, loc. cit. in 6. et seqq. allegans alios, atque concordat sæpe dictus Motus proprius Innocentii XII, proxime referendus.

101. *Et episcopus ordinans suum familiarem statim debet huic conferre beneficium.* — Deducitur tertio, quod episcopus ordinans suum familiarem, statim debeat eidem, quacumque fraude cessante, beneficium conferre. Idque etiam habet locum in ordinibus minoribus ac prima tonsura. Navarus, consil. 11, *de Temporib. ordinat.* n. 1, Zerola, in *Praxi episc.*, part. II, v. *Ordo.* § Quinto dubitatur; Rota Romana, decis. 731. part. I. divers.; Garcias, part. II. *de Beneficiis*, cap. v. num. 94. et alii.

102. *Dictio statim, quid hic importet?* — Quamvis autem circa intellectum dictionis *Statim*, olim plures fuerint opiniones doctorum; prout videre est apud Barbosam, cit. allegat. 5, n. 11; de facto tamen post sæpe memoratum Motum proprium Innocentii XII constat, quod episcopus ordinans familiarem ut supra, teneatur ipsi conferre beneficium, ad honestam clericis sustentationem sufficiens *statim*; hoc est, «saltem intra terminum unius mensis a die factæ ordinationis.»

103. *Episcopi titulares nequeunt ordinare suam familiarem.* — Cæterum memorata concessio ordinandi triennem familiarem epis-

copis facta a concilio Tridentino non extenditur ad episcopos dumtaxat titulares illarum Ecclesiarum, quæ in partibus infidelium consistunt, Nam, ut taceatur quod hi clero careant, et populo christiano, sicque beneficium statim nequeant conferre ordinationis: in eodem concilio Trident., sess. 14, cap. II. *de Reform.*, expresse denegatur talibus episcopis titularibus facultas ordinandi subditum alterius, etiam prætextu familiaritatis, continuæ commensalitatissuæ, absque sui proprii prælati expresso consensu, aut litteris dimissoriis.

104. *Quæ de facto ulterius requirantur ut episcopus familiarem suum ordinare valeat?* — Insuper de facto, ut episcopus familiarem suum ordinare valeat, ex nova Constitutione antememorati Innocentii XII requiritur, quod is ante receptionem ordinum testimoniales litteras proprii, originis scilicet, sive domicilii prælati, super suis natalibus, ætate, moribus et vita, sibi concedi obtinuerit; easque episcopo ordinanti, in actis illius curiæ conservandas, exhibuerit.

105. *Referuntur posteriora verba Constitutionis Innocentii XII, Speculatores domus Israel.* — Verba dictæ Constitutionis, seu Motus proprii Innocentii XII, *Speculatores domus Israel*, ac immediate sequentia ad ea, quæ, n. 97, referuntur, usque ac finem sic sonant: «Ad hæc nullus episcopus alienæ diocesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros, vel minores ordines, vel etiam primam tonsuram promovere, seu ordinare præsumat absque ejus proprii originis scilicet, seu domicilii prælati testimonialibus litteris, ut supra, et nisi ad præscriptum concilii Tridentini præfati, sess. 23 cap. IX. *de Reform.* familiarem prædictam per integrum, et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit. Beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam, juxta modum superius præfinitum, sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est, saltem intra terminum unius mensis a die factæ ordinationis, re ipsa illi confera, ac in ordinationis hujusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneantur.»

106. *Referuntur posteriora verba Constitutionis Innocentii XII, Speculatores domus Israel.* — «Porro, ut quicumque fraudibus aditus omnino præcludatur, volumus, et Apostolica auctoritate statuimus, atque decernimus, ut

episcopus quilibet suos ratione originis, sive domicilii subditos clericos quoscumque, ab alienis episcopis quavis auctoritate etiam cum suis commendatitiis litteris promotos, nedum ad formam concilii Tridentini supra dicti sess. 14, cap. III, *de Reform.* quoad scientiam examinare valeat, verum etiam ordinum eis collatorum testimoniales litteras, gratis tamen, recognoscere, ac diligenter perquirere, an quoad illos præsentis Constitutionis forma, et dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis bene viso, ad docendum de ejusmodi adimplemento; ita ut quos eo termino elapso id minime præstitisse compererit, a susceptorum ordinum exercitio, si ita, et quamdiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque ne in altari, aut in aliquo ordine ministrent, interdiceret possit.»

107. *Referuntur posteriora verba Constitutionis Innocentii XII, Speculatores domus Israel.*

— «Ita vero præmissa omnia, et singula, perpetuo ac inviolabiliter observare, atque impleri volumus, ut si quid in iisdem præmissis seu eorum aliquo secus fiat, ordinans quidem a collatione ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus pœnis pro modo culpæ, nostro, et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis, uterque subjaceat. Decernentes pariter easdem præsentibus litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectavit, in omnibus, et per omnia plenissime, et inviolabiliter observari. Sicque et non aliter per quoscumque iudices, etc. Non obstantibus, etc.»

108. *Referuntur posteriora verba Constitutionis Innocentii XII, Speculatores domus Israel.* — Volumus autem, ut præsentibus litteris in valvis Ecclesiæ Lateranensis, et Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ apostolicæ, ac in acie campi Floræ de Urbe, ut moris est, publicentur, et assignentur, sicque publicatæ, et affixæ, omnes, et singulos, quos illæ concernunt, perinde arceant, et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatæ fuissent; quodque earumdem præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus

personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decretorum, declarationis, voluntatis, statuti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ, apud sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, pridie nonas novemb. Pontificatus nostri an. quarto. » Hactenus novissima Constitutio S. D. N. Innocentii PP. XII.

§ V.

DE LITTERIS DIMISSORIIS, ET FACULTATE EAS CONCEDENDI.

109. *Litteræ dimissoriæ quid, et cur sic dicantur? Appellantur etiam Reverendæ.* — Quæritur I. Quid sint litteræ dimissoriæ, et in quo differant a commendatitiis, seu testimonialibus, et formatis? Resp. I. Per *Dimissorias* intelliguntur illæ litteræ, in quibus continetur scripta licentia, et consensus proprii prælati, ut ejus subditus possit ab alio episcopo ordinari. Et dicuntur *Dimissoriæ*, quia per eas unus prælatus suum subditum ex causa rationabili dimittit ad alterum, ut ab eo ordinetur. Licet enim episcopus per semetipsum suis subditis ordines conferre debeat, juxta concilium Trident., sess. 23. cap. III. *de Reformat.* si tamen ipse ob morbum, aut aliam legitimam causam fuerit impeditus, de ejus consensu poterit illis episcopus alterius diocesis ordines conferre; ut can. *Episcopum.* 9. q. 1. et c. *Cum nullus.* h. t. in 6, ac tradit concilium Trident. cit. cap. III. Et hujusmodi litteras dimissorias, aliqui appellant *Reverendas*, ut inquit concilium Tridentinum, sess. 7, cap. x. *de Reform.*

110. *Licentia suscipiendi ordines ab alieno episcopo, non necessario datur in scriptis.* — Porro dicta licentia suscipiendi ordines ab alieno episcopo, ordinariæ solet dari in scriptis, sive per ejusmodi litteras dimissorias, ut sic de consensu proprii ordinarii melius constare valeat, dum continetur in scriptis. Absolute tamen non requiritur scriptura, et

unde de ejusmodi consensu rite constet : prout desumitur ex concilio Trident., sess. 23, cap. II. *de Reformat.* ubi sub disjunctione loquitur, dum prohibet episcopis, alienum subditum ordinare absque sui proprii praelati expresso consensu, aut litteris dimissoriis : sicque sufficere poterit expressus proprii praelati consensus, quamvis non detur in scriptis.

111. *Nisi in casu*, cap. I, h. t. in 6. — Excipe tamen casum, in cap. I, h. t. in 6, relatam : ibi enim expresse ac necessario requiritur, ut episcopus Italiae ultramontanum non ordinet, nisi specialem licentiam a Papa habeat, vel a suo episcopo per ejus patentes litteras causam rationabilem continentes, quare ipsum nolit, aut nequeat ordinare. Ubi Glossa, *ŷ. Litteras*, inquit : « Nota casum, in quo scriptura requiritur. »

112. *Dimissoriae differunt a commendatitiis seu testimonialibus, et formatis.* — Resp. II. Litterae dimissoriae differunt a litteris commendatitiis seu testimonialibus, et formatis. Ita Navarrus, consil. 27, *de Temporib. ordinat.* et Barbosa, lib. I. *Jur. Eccles. univ.* cap. XXXIII, n. 74, et rursus, part. II, *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 7, n. 16, citans alios; atque inde concludens, quod licet capitulum Sede vacante intra annum nequeat dare litteras dimissorias, possit tamen concedere commendatitias, seu testimoniales. Ratio diversitatis est : quia litterae dimissoriae dantur ad effectum suscipiendi ordines ab alieno episcopo : et tales proprie vocantur *dimissoriae*. *Commendatitiae* autem seu *Testimoniales* sunt, quibus clericorum probitas, et mores, ordinarii sui testimonio aliis commendantur; ut inquit concilium Tridentinum, sess. 23, cap. VIII, *de Reformat.* quales etiam proprie dicuntur illae, quae dantur a capitulo Sede vacante, utpote quod nequit dare dimissorias intra annum. Fatendum tamen, quod largius loquendo litterae dimissoriae, et commendatitiae, nonnunquam sumantur pro eisdem; uti fit can. 1 et 2, dist. 27.

113. *Per formatas, quae litterae intelligantur?* — Porro per *Formatas* de communi jam consuetudine, ut inquit Layman, titul. *de Clericis peregrinis*, num. 3, intelliguntur litterae testimoniales collatorum ordinum; hoc est, illae, in quibus fit fides publica de collatis cuiuspiam ordinibus. Olim tamen formatae generalem acceptionem habuerunt, et omnes ecclesiasticae epistolae dicebantur *Formatae*, eo quod secundum certam *Formam* scribe-

rentur : hinc in can. ult., dist. 71, per formatas intelliguntur litterae commendatitiae, seu tales, sine quibus « nullum peregrinorum clericorum suscipi oportet, » ut loquitur textus ibidem.

114. *In litteris dimissoriis quae exprimenda?* — Quæritur II. Quae sint attendenda, atque exprimenda in concessione litterarum dimissoriarum? Resp. I. In litteris dimissoriis debet imprimis exprimi nomen concedentis, et nomen atque cognomen illius, cui conceduntur. Item permissio, ut iste ab hoc determinato episcopo (si sunt dimissoriae speciales) vel a quocumque antistite, rite et canonice promoti, ac gratiam et communionem sanctae Sedis apostolicae obtinente (si sunt generales) ordinari valeat. Item, an solum ab eo primam tonsuram accipere, vel ad acolythatum quoque caeterosque minores, imo et subdiaconatus, diaconatus ac presbyteratus sacros ordines, statutis a jure temporibus, promoveri valeat.

115. *An ad eas requiratur praevisum examen, et approbatio ordinandi?* Deinde spectato rigore juris, praevisum examen ordinandi, ejusque approbatio, antequam ipsi litterae dimissoriae a proprio episcopo ad alienum concedantur; prout constat ex concilio Trident., sess. 23, cap. III, *de Reformat.* ibi : « Episcopi — subditos suos non aliter, quam jam probatos, et examinatos, ad alium episcopum ordinandos dimittant. » Quamvis antiquitus hoc non fuerit observatum, liquet ex can. *Sanctissimo*, dist. 73, ubi episcopus concedens dimissorias litteras, eum, cui concedebat, non examinavit, sed episcopo ordinanti examinandum reliquit. Et quod de facto quoque tale examen possit demandari episcopo ordinanti, quando proprio episcopo per absentiam valde incommodum foret illud peragere, decisum esse, refert Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episcop.*, allegat. 7, n. 29. Ubi etiam n. 22, recte eum aliis notat, et ex textu concilii Trid., sess. 7, cap. XI, *de Reformat.* probat, quod episcopus, cui examinatus, et approbatus ordinandus dimittitur, possit hunc iterum examinare; adeoque talis duplex *examen* sustinere cogatur.

116. *Et legitima causa concedendi, haecque in ipsis exprimi debeat?* — Tertio requiritur, ut litterae dimissoriae non concedantur, nisi ex causa rationabili, haecque in ipsis exprimatur; ut cap. I, h. t. in 6. Concordat concilium Trid., sess. 7, cap. XXI, *de Reformat.* ibi:

« Facultates de promovendo a quocumque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis episcopis ordinari non possunt, in litteris exprimendam. » Licet in aliquibus provinciis de consuetudine sit receptum, ut nulla causa assignetur, quam consuetudinem validam censel Emmanuel Rodericus, tom. III, *Quaest. regul.* q. 24, art. 3, circa medium, ac Rebuffus in *Praxi benef.* tit. *Formula dimissoriarum litterarum*, n. 28.

117. *Quid de dispensatione in interstitiis?* — Quarto requiritur, ut si episcopus concedens dimissorias, velit cum ordinando dispensare in interstitiis, in litteris dimissoriis clare exprimat, quod in dictis interstitiis dispenset, vel saltem potestatem dispensandi concedat episcopo ordinaturo. Nam dispensare super interstitiis, pertinet ad proprium episcopum, seu superiorem ordinandi, ut amplius infra num. 138, dicetur. Ac proinde illi, qui petunt dimissorias, curare debent, ut eisdem simul inseratur clausula illa, qua episcopus concedens dimissorias, dispensat in interstitiis : alioquin enim foret repellendus ab ordinibus, si debita interstitiorum tempora nondum fuissent transacta. Miranda, tom. I. *Manual. praelat.*, quaest. 38, art. VII, concl. 2, in fine; Pirhing, h. t. n. 89, et alii.

118. *Quilibet episcopus potest concedere dimissorias. Qui potest ordinare, potest et dimissorias ad ordines dare.* Quæritur III. Quinam possint, vel non possint, concedere dimissorias? Resp. I. Praeter Romanum Pontificem, qui cum sit episcopus universalis Ecclesiae, et ordinarius ordinariorum, non solum litteras dimissorias, sed etiam privilegium concedere potest, ut quis a quocumque antistite ordinari valeat, de jure communi quilibet episcopus suis subditis litteras dimissorias impertiri valet, sive is sit episcopus originis, sive domicilii. Textus est in c. *Cum nullus*, 3, h. t. in 6. Nam, ut inquit Glossa, fin. ibid. atque desumitur ex can. I, dist. 72, qui potest ordinare, potest etiam dimissorias ad ordines dare : quia « potest quis per alium, quod potest facere per seipsum, » juxta reg. 68 juris in 6.

119. *Etiam ille episcopus concedit dimissorias, qui potest ordinare clericum ratione triennalis familiaritatis, aut ex privilegio, vel consuetudine.* — Et haec ratio tam fortiter urget, ut extendatur etiam ad eum casum, quo episcopus clericum ratione triennalis familiaritatis ordinare potest, juxta concilium Tri-

dent., sess. 23, cap. IX, *de Reformat.* ubi cardinales declararunt, eadem ratione posse episcopum ipsi concedere dimissorias. Layman in cit. c. *Cum nullus*, n. 1, h. t. in 6. Quinimo Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 7, n. 4, hoc ipsum docet de episcopo, qui ex privilegio, aut praescripta consuetudine, potest quibusdam ordines conferre, ut possit eis etiam dimissorias dare. Verumtamen hactenus dicta de facto sunt moderanda, atque intelligenda servatis omnibus illis, quae in novissima Constitutione Innocentii XII, *Speculatores domus Israel*, praescribuntur, et supra n. 103, et seqq. habentur : alioquin enim, sicut episcopus illis non servatis amplius nequit cuiuspiam ordines conferre, ita nec dimissorias pro ipsis concedere.

120. *Capitulum sede vacante nequit de facto intra annum concedere dimissorias, nisi arctatis : bene tamen antiquitus.* — Resp. II. Capitulum sede vacante de facto non potest infra annum, a vacationis die computandum, litteras dimissorias concedere; praeterquam illi, qui alicujus beneficii ecclesiastici recepti, sive recipiendi, occasione arctatus fuerit. Ita novissime decrevit concilium Tridentinum, sess. 7, cap. X, *de Reformat.* Quamvis enim antiquitus capitulum sede vacante liberam habuerit facultatem concedendi dimissorias text. clar. c. *Cum nullus*. § *Episcopo*. h. t. in 6, haec tamen potestas ipsi, ac constituto per ipsum vicario capitulari, per concilium Tridentinum restricta fuit, ne quoquo modo praedictum generetur futuro episcopo.

121. *Arctati ratione beneficii recepti, qui?* — Excipit tamen concilium arctatos ratione beneficii ecclesiastici recepti, vel recipiendi, ne vel hoc absque sua culpa carere cogantur, vel requisitum actum ordinis, quo ipsi carere exercere non possint. Et quidem « Arctati ratione beneficii ecclesiastici recepti » censentur illi, qui obtinent aliquod beneficium, ratione cujus tenentur se ordinari facere : prout assumpti ad regimen Ecclesiae parochialis, tenentur infra annum promoveri ad sacerdotium, c. *Licet* can. 14, *de Election.* in 6. Et qui obtinent dignitatem, seu canonicatum ad ordinem ipsi annexum, juxta concilium Trid. sess. 24, cap. XII, *de Reformat.* Et hoc ipsum procedit in aliis beneficiis, seu capellanis, quae ex sua institutione, consuetudine, aut statuto particularium Ecclesiarum, requirunt servitium personale, sicque certum ordinem. Garcias, part. V. *de Benefic.* cap. VII

n. 98; Barbosa, part. II, de *Offic. et potest. episcop.* allegat. 7, n. 11, et alii.

122. *Arctati ratione beneficii recipiendi, qui?* — Arctati ratione beneficii recipiendi e contra dicuntur illi, qui habent jus, vel saltem sunt vocati ad aliquod beneficium vacans, seu capellaniam, quod tamen requirit actu certum ordinem, quem necdum habent. Sic ille dicitur arctatus ratione beneficii recipiendi, qui cum primam tonsuram acceperit, eligitur, aut praesentatur ad beneficium aliquod, majerem ordinem actu requirens: quia per electionem, seu praesentationem acquiritur ipsi jus ad ejusmodi beneficium, quo carere absque sua culpa cogeretur, si ordinem requisitum accipere nequiret. Barbosa, ubi supra, citans alios.

123. *Quid de vocata ad beneficium, si nondum habet primam tonsuram?* — Idem dicendum in casu, quo quis vocatur ad beneficium, ac necdum habet primam tonsuram: ut si collator vult conferre, vel patronus praesentare aliquem, qui nondum recepit primam tonsuram. Quia enim laicus, sive carens prima tonsura, est incapax beneficii ecclesiastici, ac proinde ad illud eligi, vel praesentari nequit; adeo, ut si secus fiat, electio, vel praesentatio sit nulla, arg. c. *Ex litteris*, juncta Glossa fin. de *Transact.* estque amplius dictum, tit. 6, de *Elect.* § 9, n. 219. Hinc talis censetur arctatus occasione beneficii recipiendi; ac proinde capitulum, seu vicarius capitularis sede vacante, potest ei concedere dimissorias pro recipienda prima tonsura. Card. de Luca, de *Beneficiis*, discours. 71, n. 7, et Garcias cit. part. V, cap. VII, n. 102, citans Ugolinum, de *Offic. et potest. episc.* cap. XXVI, § 20, n. 5, pro hac sententia referens declarationem sacrae Congregationis; et rursus, part. VII, cap. I, n. 30, ubi aliam refert ejusdem sacrae Congregationis declarationem super, cap. X, sess. 7, concilii Tridentini, quae ait: « Vicarius capituli sede vacante infra annum potest concedere dimissorias ad primam tonsuram ei, qui est praesentatus a patronis laicis ad beneficium ecclesiasticum jurispatronatus ipsorum, ut illud obtinere valeat. » Ubi tamen ly *praesentatus*, benigne accipi debet pro eo, qui non absolute est praesentatus (alioquin enim praesentatio foret nulla, ut dictum) sed de praesentato in tempus habile, quo erit clericus; seu petendo, ut antea initiatur prima tonsura. Garcias, cit. part. VII, cap. I, n. 28 et 29.

124. *Aut de eo, cui quis vult resignare benefi-*

cium? — Secus dicendum de eo, cui aliquis vult resignare beneficium, quod actu requirit ordinem: hoc enim est mere voluntarium, ac proinde ille non dicitur arctatus occasione beneficii recipiendi. Aloysius Riccius in *Praxi Aurea*, part. II, resolut. 98; Barbosa cit. alleg. 7, n. 11. Nec est simile de praesentato, vel electo ad beneficium: nam electio, et praesentatio, fit ex necessitate juris intra certum tempus, non item resignatio, utpote quae est mere voluntaria.

125. *An capitulum sede vacante possit arctatis dare dimissorias per seipsum, vel solum per suum vicarium?* — Caeterum id, quod haecenus dictum est, videlicet capitulum sede vacante infra annum posse arctatis concedere litteras dimissorias, non sic intelligendum est, quasi post constitutum jam vicarium (quem infra octo dies post mortem episcopi constituere tenetur, juxta praescriptum concilii Tridentini, sess. 24, de *Reform.* cap. XVI), possit capitulum ejusmodi dimissorias dare per se ipsum, sed solum mediante suo vicario capitulari. Licet enim jurisdictio principaliter resideat penes capitulum sede vacante, nihilominus exercitium ejus existit penes vicarium ab eodem deputatum. Ant. Flaminius Marchettus in *Praxi vicarii capitularis*, part. I, tit. 9, n. 4, post Quarantam in *Summa Bullarum*, § *Capitulum sede vacante*, n. 4, et alios. Unde, quod capitulum sede vacante arctatis non concedat infra annum litteras dimissorias, censuit sacra Congregatio episcoporum, et regularium, in Neapolitana, die 12 januarii 1604, et in Almerin. 24 januarii 1653, prout refert Flamin. Marchettus, loc. cit. part. II, tit. 15, n. 28, post Nicolaum in *Flosculis*, § *Vicarius capitularis*, num. 70, § *Vicarius tamen*. Ac similiter, quod post annum litteras dimissorias concedere spectet ad vicarium, et non ad capitulum, fuit declaratum ab eadem sacra Congregatione in cit. Neapolitana, die 12 januarii 1604, prout testatur Barbosa de *Canonicis*, cap. XLII, n. 120, et Flam. Marchettus, cit. tit. 15, num. 21.

126. *Vicarius generalis episcopi, an concedere possit dimissorias?* — Resp. III. Vicarius generalis episcopi litteras dimissorias concedere non potest, nisi episcopo in remotis agente, aut nisi ab eodem habeat speciale mandatum: alioquin enim ad hoc se non extendit ejus officium. Textus ex in c. *Cum nullus*, 3, § *Inferiores*, h. t. in 6, juncta Glossa ibid. § *Non extendat*; Rebuffus in *Praxi benefic.* part. I, tit. *Forma vicariatus*, n. 47 et 48; Aloys.

Riccius in *Praxi Aurea*, part. III, resolut. 232 n. 1. et seqq.; Sbroz de *Vicar. episc.* lib. II, qu. 41; Pax Jordanus, lib. III, tit. 6, de *Resacra*, et alii.

127. *In remotis esse, quando dicatur episcopus?* — Circa quod est notandum, quod tunc dicatur episcopus in remotis agere, quando est extra provinciam, sive dioecesim, in c. *Coram electo*, 35 de *Electio.* Aut quando abest ultra duas dietas, c. *Nonnulli*, 28, de *Rescrip.* Vel saltem ultra unam dietam. c. *Statutum*, 11. § *Cum vero*, eod. in 6. Aut certe hoc erit relinquendum arbitrio boni viri, qui attenda praesentem consuetudine loci caeterisque circumstantiis id determinabit; prout notat Glossa in cit. c. *Cum nullis*, § *Remotis*, h. t. in 6. Hostiensis in c. *Relatum*, de *Sentent. excommun.* Archidiaconus in cap. II, respons. 9, de *Testament.* in 6. et Pax Jordanus, loc. cit., n. 130, allegans alios. Hodie tamen talibus vicariis solet dari expressa super hoc potestas; adeo, ut etiam praesentibus episcopis ex causa rationabili litteras dimissorias concedant. Glossa, loc. cit. in *Addit. post Joan. Andream*, ibid. n. 3.

128. *Praelati inferiores, atque capitula, et abbates, nequeunt dare dimissorias subditis saecularibus.* — Resp. IV. Inferiores praelati, atque ipsamet capitula etiam cathedralia, et abbates, quantumvis exempti, non possunt suis subditis saecularibus dare litteras dimissorias ad episcopum alterius dioecesis; sed horum ordinatio pertinet ad episcopum, intra cujus dioecesis fines existant. Ita habetur in cit. c. *Cum nullus*, 3, § *Inferiores*, h. t. in 6, ubi ita legitur statutum, secluso tamen speciali privilegio Apostolico, vel (ut addit Glossa, § *Indultum*) nisi habeant ex consuetudine praescripta quod hoc facere possint.

129. *Et revocata sunt quoad hoc omnia privilegia, praescriptiones, consuetudines in contrarium.* — Id ipsum, et quidem sub expressa revocatione caeterorumvis talium privilegiorum, praescriptionum et consuetudinum, etiam immemorabilium, habetur in concilio Trident. session. 23, cap. IX, de *Reform.* ubi dicitur: « Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat imposterum, intra fines alicujus dioecesis existentibus, etiam si nullius dioecesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre; nec ipsi abbates, et alii exempti, aut collegia vel capitula quaecumque, etiam Ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus cle-

ricis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant, sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quae in hujus sanctae synodi decretis continentur, ad episcopos, intra quorum dioecesis fines existunt, pertineat: non obstantibus quibusvis privilegiis, praescriptionibus, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus, » etc. Haec ibi.

130. *Quid de praelatis non existentibus intra fines alicujus dioecesis?* — Quia vero relatum concilium Tridentinum expresse loquitur de praelatis, etiam exemptis, « intra fines alicujus dioecesis existentibus; » ac infra statuit, ut clericorum saecularium, ipsis subditorum, « Ordinatio ad episcopos, intra quorum dioecesis fines existent, pertineat. » Hinc allegatum decretum non urgere in casu, quo praelati exempti, sive saeculares, sive regulares, proprium et distinctum territorium habent, in quo jurisdictionem ordinariam, ac quasi episcopalem exercent in subditos tam saeculares, quam regulares, adeo ut populus etiam sit exemptus, ac nullius dioecesis, nec intra fines dioecesis episcopi alicujus existat: tenuerunt non pauci doctores; ut Barbosa, part. II, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 7, n. 8. Ascan. Tamburinus, tom. II, de *Jure abbatum*, dist. 2, quaest. 26, n. Piascius in *Praxi episcopali*, part. I, cap. I, n. 12; Pirhing h. t. n. 56, et quidam alii, id ex relatis verbis concilii Tridentini, argumento a sensu contrario desumpto, colligentes.

131. *Quid de praelatis non existentibus intra fines alicujus dioecesis.* — Verumtamen oppositum esse tenendum, tradit Fagnanus c. *Nullus*, n. 23, et seqq. de *Parochiis*; Jacobus Pignatellus, *Consultationum canonicarum*, tom. VIII, consult. 59, n. 14, et seqq. Ubi hic n. 32, et seqq. plures sacrae Congregationis declarationes allegat, quibus censuit quod abbates, alique praelati inferiores nullo modo possint litteras dimissorias ad ordines suis saecularibus subditis concedere, sed hoc pertineat ad episcopum, intra cujus dioecesis fines existant, aut, si intra nullius dioecesis fines consistunt, ad episcopum viciniorum, ad quem pariter spectat talibus personis ordines conferre. Ad dignoscendum vero, quis sit vicinior episcopus, attendi debeat vicinitas cathedralis Ecclesiae, atque abbatiae vel prioratus, non autem territorii. Ita pluribus decidunt citatae declarationes cardinalium. Ad argumentum vero a sensu contrario desumptum, patet ex dictis tit. II, de *Constitutionibus*, § 16, n. 406, et seqq. quod illud in pluribus